COLLEGIUM
DE
PROPAGANDA FIDE,

ΩΣ ἘΝ ΤΥΠῼ

ADUMBRATUM & DIGNISSIMIS ECCLESIARUM REFORMATARUM ANTISTITIBUS & SYNODIS OBLATUM,

à

F. S.



HAMMONÆ
Typis BERNHARDI WOLPHARDT,
ANNO MDCLXVIII.



UNitatem esse individuam affectionem Entis quà Ens est, apud Philosophos est notissimæ veritatis. Et ab Unitate discedi vel ad infinitum vel ad nihilum, eorundem pariter constans est traditio. Hinc quàm necessaria & pulcra in quovis Entis genere sit Ἑνότης, cuivis facilè apparebit. In Politeia pacis interesse judicat acris scriptor, omnium potestatem ad Unum conferri, & non aliud discordantis Patriæ remedium esse, quàm ut ab Uno regatur. In Ecclesia autem quàm illa sit necessaria & passim in divinis Scripturis legere est, & ipse Salvator speciatim edixit, dum illam Discipulatus sui tesseram nuncupavit; qui & sanctissimo ore suo politicum illud axioma adprobavit atq; regno suo adplicavit: Omne regnum inter se divisum desolabitur. Quibus convenienter Eximius quidam Theologus Unitatem seu Concordiam Christianam inter Notas veræ Ecclesiæ posuit, quod illis ingerendum, qui tam præfidenter quærunt: Quis Calvinianus illud signum (Dilectionem) quod certissimum divinissimumque est, inter Notas Ecclesiæ retulit?

Tacitus l. 1 Annal. & l. 1. Histor.

Camerō de Veris Ecclesiæ Notis p. 260. Walēburgij l. 8. de Unitate Ecclesiæ c. 4. p. 442.

Unitas autem hæc cùm gemina sit, Numerica & Specifica: illa quanto præstantior in politeia, ubi Dominatus obtinet, tantò deterior judicanda erit in Ecclesia, in qua ille vetitus. Unitas igitur specifica, quando nimirum plures coeunt in Unum, Ecclesiæ convenientior, ubi tunc locum invenit Disciplina Fœderata. Rursum spectatur hæc Unitas vel in Theoria vel in Praxi. Quoad Theoriam, vix illa videtur possibilis in omnibus, suffecerit in fundamento, in quo quotquot conveniunt, inter sese quoque convenire debent: Unde jam resultat Unio Practica, quâ

omnia

omnia membra corporis myſtici, fide fundamenti unita, inter ſeſe quoque Unum Cor & Una Anima eſſe debent, quamobrem Chriſtus vel quinquies rogavit Patrem ſuum qui in cœlis eſt. Hæc autem Unio Practica duo iterum involvit, Affectum mutuum & Effectum, quæ ambo Apoſtolus Chriſtianis impingit ducto parallelo inter relationem corporis naturalis & myſtici. 1.Cor.12. Hæc duo quando concurrunt, exſurgit ſuaviſſima illa Communio Sanctorum, quæ in fidei articulum abiit, cùm Eccleſia eſſet, ſi autem ſeparentur, illa nomen tantùm ſuum retinet. Utinam nunc, quàm latè patet Eccleſiæ Reformatæ nomen, tam latè quoque pateret hæc unio! Accidens ſanè veræ Eccleſiæ inſeparabile! Verùm hîc eſt quod doleamus, Eccleſias, quæ id nominis præ ſe ferunt, nullo ferè Unionis & Communionis glutinô inter ſeſe cohærere. Si namque illas perluſtres vel in Anglia, vel in Gallia, vel in Germania, vel in Pannonia vel Sabaudia, ſibi invicem alienas comperies. Mala & incommoda indè orta recenſere non attinet & nimis longum foret. Ubi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſt verbis. Quis enim non planè obtuſi pectoris, qui miſeranda Extermi-nia, ut cum Afro ſcriptore loquar, Eccleſiarum in Sabaudia & Bohemia, veræ Religionis retrò traducum, huic defectui, humanitùs judicando, non imputat? Ne memorem calamitates aliarum Eccleſiarum in Palatinatu, Hibernia, Anglia, Gallia & alibi præteritas vel metuendas. Econtrà quis non miratur, Romanam Eccleſiam per aliquot annorum centurias vel hoc Unionis vinclô colligatam in ſuo ſtatu & typho ſtetiſſe, & aliis immane quantum nocuiſſe, nec facilè, eô durante, collapſuram, nî Deus judicia ſua extra ordinem impleat. Adhæc cùm Deus nos in illa Tempora reſervarit, ubi poſt exactum Reformationis ſæculum & quod excurrit, Reformatæ Eccleſiæ eò Deformationis quoad mores & Luxatam Diſciplinam prolapſæ ſint, ut de corrupto Eccleſiæ ſtatû ferè ſcribendum ſit, & metuendum, ut res tandem in fœdum Libertiniſmum, ſit deſitura, nî maturè provideatur: Quæ cùm ſæpius animo obverſarentur meo,

 cogi-

cogitabam mecum, annon pariter Medium aliquod adinveniri queat, quô & malo huic obviam iri & vinculum illud Communionis nimis quàm Laxum artiùs adstringi, posset. Omnibus autem in timore Domini probè expensis, melius dispicere non potui, quàm si ad Exemplum Ecclesiæ sequioris inter Reformatos quoque adornaretur Collegium aliquod de Propaganda Fide, quod curaret Ecclesiam eatenus ne quid illa detrimenti capiat. Illud autem institutum ne quis causetur esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, cogitet mecum, cum recepto jam Ecclesiæ more habeantur Conventus Ecclesiastici, qui Ecclesiarum Synodi vocantur, annon similiter tempore certô & constituto Synodus quædam Universalis coire queat, quæ hoc sibi negotii datum crederet. Si namque olim habita fuerunt Concilia Generalia, & si
Sess. 1. in Concilio Basileensi constitutum fuit, ut vel decimo annô habeatur Concilium aliquod Universale, cur tale quid apud Reformatos non posset fieri, præsertim cùm superiori seculô habita fuerint Concilia Nationalia variarum Ecclesiarum sub Cruce gementium, & præsens sæculum Nobis dederit illustre Exemplum Concilii Dordraceni in Batavis habiti. Prout igitur Ecclesiæ coeundo in Classibus & Synodis particularibus haberi solitis, sortiuntur Potestatem Cumulativam; ita major illa omnino erit in ejusmodi Conventu Universali, qui Ecclesia Universalis Repræsentativa appositè dici poterit. Non dissimulabo, Statum sæcularem hîc fore difficilem & multa causaturum, quo præclarum hocce institutum præpediatur. Religio namque & pietas privata bona sunt, Reges eant quà poterunt, vetus multorum est cantilena & maxima. Verumenimverò, quotquot ex illo Ordine probi sunt & pietatis sensu tanguntur, illi Ecclesiæ salutem pro suprema lege habebunt, & omnimodis procurabunt, ut vis ejus fortior evadat, præsertim quando illa comperietur laborare & periclitari, quod cumprimis per hanc unionem fieri poterit: Qui autem ex illis sunt prophani & ex communi miseria nonnisi auream messem sectantes; illi uti non sunt vera Ecclesiæ membra, nedum colu-
mina,

mina, ita Augustini illud iis improperandum erit: Intus Lupi, foras oves. Et utinam à talibus, qui nonnisi bestiæ Apocalypticæ Ludiones & ἔμποροι sunt, Ecclesia libera foret! Melius autem iis obsisti nequit, quàm Concordiâ Ecclesiasticorum, quæ simul juncta vinci omnino non potest, teste Cypriano Epist. I. ad Cornelium. Quàm enim illa potis foret obviam ire omnibus illis remoris à carne & sæculo desumptis, nemo non videt. Concordia autem hæc per gradus tentanda & procuranda erit. Uniant sese prius Conventus Minores, deinde Majores cumulativè. Insinuent sibi mutuo pacta & decreta sua per Deputatos vel Missionarios Ecclesiasticos, Angli, Galli, Belgæ, Germani, & ita deinceps Communicatio seu Correspondentia interteneatur. Apoc. 17. & 18.

Quod si quis objiciat ob κατέχον summarum Potestatum & Religione & Regione discordantium, huic Synodo vix locum dari posse, cogitet ille mecum, quod si veteres synodi sub Potestatibus Paganis, & recentiores Patrum ætate sub Magistratibus sibi maximè infestis coire potuerint: & sequior Ecclesia sub Imperio nunc diviso & scisso suos tamen Conventus, Communionem & Correspondentiam habere queat, annon hodieque, non obstante illo Discidiô, paria fieri possint. Vel enim Summus Rerum Arbiter flectet Corda Eorum, quæ in manu sua habet, ad mitiora, & tunc Ecclesia suam habebit malaciam, sub qua commodùm nidulari & convenire poterit: vel sinet eos cervicem erigere contra Christum suum, & tunc habebit persequutionem, sub qua & zelus flagrantior & vis ejus unita ob Antiperistasin quasi fortior erit, ita ut per saxa, per ignes, hanc Communionem sit quæsitura, prout temporibus ejus difficillimis hoc observare licuit. Sed nec deerunt alii obstreperi ex Ordine Ecclesiastico, qui ciniflones aulæ vel sublingiones culinæ (qualia Ministerii carcinomata nunc plura in Magnatum Aulis reperiuntur;) Potestatibus succollabunt & obtendent: Institutum hocce Statui non fore conveniens & facilè motus causaturum. Verumenimverò, credere Mundum humanis consiliis regi, si ille dixit,

ſubtilem eſſe Atheismum: Nos multò magis id de Eccleſia, quam tria peſſum datura non vanè prædixit Lutherus, 1. Oblivionem Beneficiorum Evangelicorum, 2. Securitatem Carnalem, 3. Sapientiam Mundi, quæ ſuis conſiliis cuncta agere volet. Et ſi σύῤῥαξις hîc quædam metuenda, eveniet ea per Accidens, nempe uti pharmacum ſalutare ſæpe non operatur abſque gravi commotione, ob humorum intrinſecam κακεξίαν: ita ſi quid heic incommodi oborietur, id malo averruncando imputabitur. Vix enim aut rarò fieri ſolet, ut Chriſti Regnum propagetur abſque contradictione & oppoſitione Maligni. Cùm autem Chriſtiani omnia ſua in charitate peragere debeant, huic ſi in tam gravi inſtituto locus quoque detur, locum non habebit ſuſpicio ut lateat anguis in herba. Placentinis autem illis illud Chriſti oggerendum erit: Qui non eſt mecum, eſt contra me, & qui non colligit mecum, diſpergit. Cùm Vir Celeberrimus Hugo Grotius paſſim contra Cl. Rivetum urgeret exſortem illam Poteſtatem & ὑπεροχὴν Eccleſiaſticam ceu Remedium Schiſmatum in Eccleſia, Rivetus poſtquam oſtendiſſet quàm inane hoc ſit remedium, utpote cùm nusquam fuerint periculoſiora Schiſmata quàm in illa Eccleſia, quæ hanc ſibi uſurpavit poteſtatem, quæ totam Europam ſæpe diviſerunt, & tandem Eccleſias Orientales ab Occidentalibus; benè tamen ſubjecit, Schiſmata caveri poſſe, ſi in unaquaque Eccleſia plebs ſuo Præpoſito & Presbyterio obediat: ſi ſit inter Eccleſias Communio & Communicatio, per cœtus Eccleſiaſticos optimè conſtitutos. Quod multis in locis, inquit, poſt Reformationem experti ſumus utiliſſimum remedium adverſus ἀταξίαν & ambitionem. Quod ſi in minori parte obtinet, cur non in majori? Erunt tandem & pii aliqui, qui rei inſolentiâ perculſi abſterrebuntur. Verùm illi confirmandi erunt, & monendi ut apud conſcientiam ſuam probè expendant, quid Spiritus S. interminetur timidis. Erigendi erunt cum Iſraelitis trepidantibus: State & videte Salutem Jehovæ! Nihil tam difficile eſt quod non cedat, ſi aggrediare, præſertim in cauſa Dei. Oculi igitur noſtri ad Te Domi-

Luc. 11.

Vide Grotium Annot. in Cōſult. Caſſand. art. 7 & Rivet. in Animadverſ:

Apoc. 2.

Apoc. 21.

Exod. 14.

Domine! Eâ fini juvabit edicere jejunia & Rogationes, edocere populum ex ambone de Bono hujus Communionis auro contrà non caræ, ut ita via Domino paretur. Ego, qui probè ſcio, quàm exiguum illud ſit, quod in me eſt ingenii, & qui ad ſtructuram hujus Tabernaculi aurum & inaures adferre nequeo, pellium, & ſi quid vilius illis, oblatione contentus, linenamenta quædam hujus Collegii de Propaganda Fide ducere volui, & Veteranis Theologis, præſertim Reverendis Eccleſiarum Synodis & Epiſcopis exhibere, additâ obteſtatione per Chriſti Amorem & Sanctorum Communionem, ut illa pro ſua Prudentia Eccleſiaſtica ad umbilicum perducere & abſolvere velint. Dùm enim alii peregrinantur, Ephraimo Judæ conciliando, & ſciſſuræ Eccleſiarum Proteſtantium redintegrandæ, ut eſſent tanquam chorea duorum caſtrorum, ad unam Regulam tanquam ad unius tubicinis modu- *Cant. 7. 1.*
los uniformiter incedentium, etſi fruſtra hactenus & irrito conatu: Ego hanc operam Eccleſiæ longè utiliorem navandam eſſe cenſui, indubius illam non fore inanem in Domino. Ut autem ſatis præfatus rem ipſam aggrediar, diſtinctè agam, & Collegium hocce conſiderabo vel quoad ſuum Subjectum, vel quoad ſuum Objectum.

Quoad prius, Ejus Natura & origo Aphorismis aliquot comprehendenda erit.

Cum igitur. 1. quodlibet corpus ad ſui conſervationem & propagationem ſuopte propendeat, multò magis hoc myſticum eò propendebit: Unde ex Natura Eccleſiæ exſurgit Cura ſemet conſervandi & propagandi.

2. Cùm & quodlibet corpus conſiſtat in nexû & ſubmini- *Coloſſ. 2.*
ſtratione, multò magis hoc myſticum. Unde reſultat συνδεσμὸς Fidelium & Communio Sanctornm.

3. Hæc Communio fundat Medium ἐπιχωρηγίας, quod eſt Concilium vel Collegium de Fide propaganda & conſervanda.

4. Tale Inſtitutum cum nata Eccleſia ſurrexiſſe conſtat ex *Act. 2. &*
Actis Apoſtolorum, quæ memorant & κοινωνίαν Chriſtianorum, *15.*
& Synodum Oecumenicam, obortô gravamine.

5. Hinc.

5. Hinc porrò Communio Sanctorum in Fidei articulum abiit, & quidem tali ordine, ut articulum de Eccleſia, tanquam eſſentiale conſecutivum, in Symbolo ſubſequeretur.

6. Hujus κριτήρια tempore Tertulliani erant: Communicatio Pacis, Appellatio Fraternitatis & Conteſſeratio Hoſpitalitatis, ut patet ex Libro ejus de Præſcriptionibus.

7. In Eccleſia inſequuta & florentiori illa intertenebatur per Apocriſiarios, Nominibus Epiſcóporum in fide concordium, aſcriptis in dypticis, & ultro citroque miſſis Encyclicis, communicatoriis, formatis & Epiſtolis Synodalibus tanquam Symbolis & teſſeris charitatis & ὁμοψυχίας in fide, teſtibus Optato Milevitano lib. 2. c. 7. & Evagrio lib. 3. c. 33. Unde totum illud corpus per totum terrarum orbem diffuſum, formatarum commerciô cohærebat, non alia in re magis ad miraculum uſque ſe exſerente Chriſtianorum Veterum prudentiâ, cui poſt Deum immortalem accepto ferendum eſt, quod Eccleſia adhuc aliquid ſui vultûs retinet, inquit H. Grotius Epiſt. 148. ad Johannem Cordeſium. Videantur & Excerpta ex Actis generalis 8. Synodi, quæ Ferrariæ incepta Ann. 1458. peracta autem Florentiæ Tempore Eugenii Papæ 4. ſub finem.

8. In Eccleſia prolapſa illa fuit devoluta ad Nutum Unius Dominantis. Unde Communio ab Uno & ad Unum.

9. Unde deinceps Romæ inſtitutum fuit famoſiſſimum illud Collegium de Propaganda fide, fulcrum aut vinculum Papatus, aſt genuinum myſterium Iniquitatis, cujus abdita nemo unquam mortalium penetrabit.

10. Huic præcipuè opponendum erit tanquam Antidotum, hocce quod meditamur Collegium, quodque naturali pulcritudine exſurgit è Synodo Univerſali Eccleſiarum Reformatarum, inſtitutum adeò neceſſarium ob inſignia emolumenta inde oritura, ut mirum ſit, imò dolendum, Reformatos de eo maturiùs non cogitaſſe.

Et hæc quoad ejus ſubjectum ὡς ἐν τύπῳ. Sequitur nunc

Objectum, quod est Fides conservanda & Propaganda, unde Salus Ecclesiæ.

Id pariter aliquot Aphorismis complectendum erit.

1. Unio Reformatorum inter sese arctior, subnixa Confessionum Harmoniâ, quæ adornari & Catholicè approbari debet, ut ita unanimem fidei Catholicismum habeamus. Neque abs re foret, quædam explanatiùs tradi juxta Mentem Reformatorum Catholicam, & quoad determinationem Fundamentalium, vexatissimam sane hodie Quæstionem, quæ tamen basis est omnis Concordiæ Christianæ, cùm rectum sit index obliqui, teste Philosopho: & Ecclesiæ Eutaxian, quò primi Reformatores non videntur adeò respexisse, neque potuere in tam arduo incœptû, nunc autem posterior ætas ex illo neglectu valde sese impeditam sensit, & ob animorum quorundam σύῤῥαξιν in detrimentum Ecclesiæ vergentem indoluit, ne dicam quod vix Papatu uno ejuratô, alius surrexerit Ecclesiarum Ordini & Libertati æque gravis utpote per Ministerii exauctorationem ad Morum Libertinismum plenis velis tendens.

2. Unio Reformatorum cum aliis ex capite Consensus hujus Fundamentalis, quæ felicius procedet ob vim Unitam & Consensum Catholicum Reformatorum pluris deinde æstimandum. Absque hac enim Unione prævia omnis labos & Conatus syncretisticus frustra erit, quantopere etiam curratur ac sudetur, uti experientia comprobat.

3. Unio non tantum Ecclesiastica, sed etiam Politica, quæ illi inædificari debet. Omnis enim Politia est propter Ecclesiam, & salus Ecclesiæ suprema lex esse debet. Hæc juncta medium erit ἐμφατικώτερον & conservandi & propagandi fidem, prout sub Initia Reformationis observare datum fuit. Nullum enim potentius vinculum Religione. Et Concordiâ tunc res parvæ crevêre, quæ nunc Discordiâ dilabuntur. Et semper illa formidabilis foret in-

B sole-

Et hic sese exerere debet Spiritus ille διακρίσεως, volēte Spanhemio, Orat. Inaugural. p. 35. qui inter prima Theologi decora est, ut habeat αἰσθητήρια γεγυμνασμένα, & norit discernere pretiosum à vili, nec dogmatū solùm veritatem, sed etiam Necessitatem, immò & necessitatis singulorū gradum accuratè definire. Quod quidem negotium non levis operæ est in tanto opinionum conflictu quæ super hoc argumento reperiuntur, dum latius alij, alij contractius hic agendum opinantur.

solescentibus Adversariis. Verum certè Antidotum & sufflamen Sanctæ illius scil. Ligæ, in Perniciem Protestantium semper paratæ. Deus modò ne impleat auguria quæ in tristi mente! Utinam saperent & intelligerent illi Antistites Protestantium, qui Lucrio Deo litant & sæpe ob Lucellum aliquod periturum in partes eunt, summô Adversariorum jubilo & Rei Reformatæ probro, imò detrimento. Protestantium sanè esset Principum, vitare bella omnia, quod inter eos facilè fieri potest mutuâ concessione, aut veniendo ad Arbitros, quod ad minus incommodum, id est, ad lites incruentas vitandas fieri vult Paulus. Qui in ea re æquas conditiones repudiabit, is jam nomine, non re erit Christianus. Qui autem Christi & Ecclesiæ causâ aliquid de suo cedet, is nihil veri honoris ex eo perdet. Et in hac potissimum re quicquid fieri potest, id experiri debent Ecclesiarum Præsides, Pacis præcones, non bellorum concitores.

4. Erectio Ærarii Ecclesiastici, quod semper fuit in Ecclesia sive Veteris sive N. Testamenti. In illo enim præter Decimas fuit siclus Sanctuarii; In hoc, tempore Christi erat commune γλωσσόκομον, tempore Apostolorum autem, Deposita ad Eorum pedes in Actis: item Agapæ apud Judam, quæ diu manserunt in Ecclesia: Ætate Tertulliani erat Arcæ genus, in qua recondebantur Deposita pietatis, uti illa appellat c. 39. Apologet. Cypriani sumptus Ecclesiæ Epist. 10. Gregorii Argentum Ecclesiæ depositum in Ceimiliarcho l. 10. Epist. 47. Quod Ærarium pro Ecclesiæ incremento & exigentia increscere debuit, unde Bona Ecclesiastica, quæ Facultates Ecclesiæ in Ecclesia Labente, & quidem Tempore Ludovici Imperatoris adpellabantur. Hæc sacris Usibus destinata ut in sacros usus conferantur, & justitiæ & conscientiæ interest. Sin, res aliis mediis, vel per ultimæ voluntatis Tabulas, vel per censum, qui quasi erit contributio Ecclesiastica & Depositio Pietatis, facilè resarciri poterit. Utinam hominum Principum præcipuè, quos hæc cura propius tangit, superflua huc conferantur, quæ tam inutiliter sæpe à fucis & fruges consumere natis prodigun-

diguntur. Pessimè autem officium hoc implent Principes ii, qui ea, quæ olim Deo, id est, piis usibus data sunt, ad suos & quidem profanissimos sæpe Usus vertunt, hoc obtentu, quod nimis multa possideant Episcopi. Si nimium multa habent Episcopi, detur quod superest Presbyteris & Diaconis: Detur Ecclesiis ædificandis aut instaurandis: Detur pauperibus popularibus: & si ei desint, externis, sicut olim ab Achaia & Macedonia missæ sunt in Judæam pecuniæ: redimantur qui apud Barbaros sunt captivi, quam ob caussam multi Episcopi vasa Ecclesiæ, etiam jam consecrata vendidêre, quidam semetipsos dedêre pignori. Miror non terreri eos qui Vetus Testamentum legunt, Achanis, qui Novum, Ananiæ exemplo. Hæc vel præcipua causa est, cur tamdiu bella durent, non tantum quia propter ista utrimque bellatur, verum etiam, quia Deus contemptum sui sic ulciscitur, verba sunt H. Grotii ad artic. 16. Cassandri, quæ Rivetus in Animadversione sua non improbat.

5. Necessarium autem hoc erit ærarium, ne quis Nobis φιλαργυρίαν & χριστοκάπηλον cum Nazianzeno objiciat, ad Ecclesias & Scholas

1. Honestè sustentandas, ne ministerium sacrum per paupertiem vilescat, & energeian suam exserere nequeat, quæ Politicorum plerorumque hodie maxima esse videtur. Ea enim est Mundi ingratitudo, inquit alibi Calvinus, ut de fovendis verbi Ministris non multum sit solicitus: Et Satan hac arte tentat doctrinâ privare Ecclesiam, dum inopiæ & famis metu plurimos absterret, ne id oneris suscipiant. Hinc non exiguus defectus eorum reperitur, qui curam Animarum gerere debent, ut non immeritò gravissimus quidam Theologus conquestus fuerit, Baal habere suos centenos Prophetas, Deum verò Israëlis, unicum duntaxt Eliam. Et hæc sæpe causa, quod Pastores animarum ἀνθρωπάρεσκοι & obnoxii esse debeant, dum Ministerium exit in Mercimonium, & contractum non nominatum: Do, ut des. Adeo aut favor aut nummus Ecclesiasticas hodie Vocationes faciunt & inficiunt, Simoniâ omnibus ingenuis pudendâ.

Perkins. Tract. de Officiis Minist.

2. Plu-

(2.) Plantandas, iis præsertim in locis, ubi Satanæ Thronus est, in quibus Benignus Deus, Janô nunc clausô, videtur ostium aperire, & unde Vir Macedonius acclamat: Descende ad Nos & juva. Hic certè culpanda venit socordia imò Timiditas Reformatorum, si præsertim exemplum aliorum contuemur, qui mare terrasque peragrant, ut proselitos faciant. Turca nullis parcit laboribus, sumptibus nullis, quibus teneros Christianorum Liberos impura sua & abominandâ superstitione inficere possit. Papa & ipsius mancipia Jesuitæ potissimum omnia tentant, plurima excogitant stratagemata, nullis parcunt sumptibus, laboribus nullis, quibus juvenes & acerrima ingenia irretire & seducere queant. Profectò eorum cura admirabilis est, sunt Verba ejusdem Theologi. Legatur cum cura & timore, quid Deus meticulosis & frigidis in Verbo suo interminetur.

Act. 16.

Perkins. Tract. de Officiis Minist. p. 19.

(3.) Erigenda Collegia & Seminaria, in quibus honestè ali & exerceri possunt, qui in spem Ecclesiæ & Reipublicæ educantur. Item Liberi Honoratiorum ad egestatem prolapsi, & Conversi ad Fidem, qui sua Christo postposuerunt, cujus honestæ sustentationis defectus non tantum multorum detinet conversionem, sed & plurium urget defectionem. Homines quippe constant carne & sanguine, quîcum Luctantur, & sæpius eligunt Veritatem in injustitia detinere, quàm turpi fame perire. Et sanè, eccui hodie volupe, sese addicere tali Religioni quâ homines Politici saginantur, & ad instar Belzararis ex Bonis Ecclesiasticis malè usurpatis deliciantur, cæteris tabescentibus & sub illorum jugo cum gemitu agentibus. Ex illis seminariis jam desumi poterunt idonea quæque subjecta & organa ad opus Domini vel in Ecclesia vel in Republica peragendum. Hinc Missionarii quoque nobis suppetent si non Apostolici, saltim Ecclesiastici ad Christum prædicandum, ubi adhuc ignotus est.

(4.) Ad Communionem Sanctorum cum Exoticis Ecclesiis colendam, & pressas quantum pote sublevandum, qui articulus hodie nominetenus tantum creditur, dum quilibet quærit suum, &

Magna-

Magnates ferè agunt ad morem tranquillorum Tzione, de quibus Deus conqueritur apud Prophetam Amos. Quàm flagrans autem & fraterna hæc Communio fuerit apud primævos Christianos, vel ipsa hostium Invidia testari coacta fuit, ut videre est in Scriptis Apologeticis Tertulliani, Arnobii, Minutii &c. contra Gentes. Divina sanè sunt hujus Verba in Octavio: Nos denique (inquit ad hominem Ethnicum) non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facilè dignoscimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus. Sic nos, quod invidetis, Fratres vocamus, ut unius Dei parentis omnes ut consortes fidei, ut spei cohæredes. *cap. 6.*

6. Disciplina Ecclesiastica, sine qua sacrum Ministerium nonnisi Nomen est, imò Ludibrium sæpius. Tam autem proprium & Inseparabile ejus Accidens est, ut verbum sit Disciplina in actu signato, Disciplina autem Verbum in actu exercito. Hujus suspensionem septennalem plus damni attulisse Ecclesiæ, quam 40. annis possit resarciri, calente adhuc Reformatione, questus fuit & indoluit Lutherus. Et quantopere ejus Necessitatem agnoverint Calvinus & Beza, passim in scriptis eorum videre est, ne dicam de Praxi quam summa animi contentione ursêre in Ecclesia Genevensi, de quo videndi Beza in Vita Calvini & Author Celeberrimus Genevæ Restitutæ p. 91. 92. Hæc cùm jam Antistitum socordiâ vel discordiâ fœdè sit collapsa, omnimodis instauranda erit, & clavium Exercitium Ligando & solvendô, adhibendum, cujus omissionem Adversarii & à læva & à dextra Reformatis exprobrant, uti ex scriptis Socinianorm & Pontificiorum satis notum est. Videatur Cl. V. Johan. Hoornbeckii Theologia Practica lib. 9. c. 28. Ridetur Confessio privata, & negligitur publica, cujus tamen beneficiô Vetus Ecclesia edecumatos Christianos, quales tantùm habere voluit, vel invenit vel fecit. Ubi nunc Pœnitentia Veterum, & notissimi illi Pœnitentium gradus? sola rei idea in Veterum libris superest, inquit Theologus quidam insignis. Ubi Religio? Ubi veneratio majoribus debita à Vobis? Habitû, victû, instru- *Dallæus de vero Usu Patrum l. 2. c. 6.*

instructu, ipso denique sermone proavis renunciastis. Laudatis semper Antiquitatem & novè de die vivitis. Per quod ostenditur, dùm à bonis Majorum institutis deceditis, ea Vos retinere & custodire quæ non debuistis, cùm quæ debuistis, non custodistis, fas mihi hîc loqui cum Tertulliano, & exprobare. Unde Ludibrium mortalibus debent, qui adhuc Apologias & triumphos pro Ecclesiis Reformatis scribunt, Threnos & Lamentationes potius de illarum Deformatione conscribere deberent. Et sanè an hic se & suos Auditores salvare queant, qui ab omni Excommunicatione abhorrent vel abstinent, vel metu, vel placendi studiô, meritò ambigendum. Quis nostrûm non quotidie ob hanc remissionem Disciplinæ excruciatur, quod Fratres & Collegæ primarii adeo nullam admittunt disciplinæ non dico severitatem, necessariam tamen mediocritatem ut in Papatu factum ast: ita plerique hominibus prospectum volunt non Ecclesiis: & Ecclesiarum damnis, avertere damna impiorum Collegarum putant humanum. Cum etiam tot malis non desint Patroni, propter Ecclesiam nolunt in offensionem incurrere potentum & gratiosorum hominum, conquestus Moderatissimus Bucerus Epistolâ ad Calvinum 72. Nulla autem causa est, quæ magis faciat Dispensatorem Dei pigriorem ad arguendos contradicentes, quàm timor verbi asperi. Dum enim timemus detractiones, irrisiones & opporbria hominum superborum, dumque ab eis in terrena substantia metuimus prægravari, timentes perdere temporalia, minus quam oportet, prædicamus æterna. Et ideò, dum per illorum nequitiam aliquid mundanum perdere formidamus, peccatorum illorum vulnera medicamentis spiritalibus curare negligimus. Unde timendum est, ne & pro nobis & pro illis, quibus præ amore terrenarum rerum non loquimur, rationem in die judicii reddere compellamur, verè dixit Augustinus Homiliâ 7. super verbis Esaiæ, Clama, ne cesses. Quare autem alios inviti corripiamus, egregiè detexit Gravissimus Theologus P. Martyr in 1. Samuel. c. 2. Etenim homo, inquit, est animal sociabile, itaque ferè semper veretur, ne si alium arguat aut liberiùs moneat, societate

c. 6. Apologet.

indi-

indignus habeatur, neve homo σκυθρωπὸς aut furiosus appelletur. Tales enim existimantur, qui liberè ac verè loqui solent. Idque Prophetis maximè usuveniebat, ut hominum vitia dum reprehenderent, à plerisque furiosi haberentur. Sic enim Principes Exercitus de discipulo Elisæi percontati sunt Jehû: Quid venit insanus iste ad Te? Verissimè porrò à Comico dictum constat, veritatem odium parere. Sic etiam Paulus ad Galat. dixit. Num inimicus Vobis factus sum, verum dicens? Noluit itaque odiosam provinciam Eli suscipere, sed instar boni Mitionis in corrigendis filiis egit. Adulatio placet omnibus verbaque mollia facilè ac citra stomachum audiuntur. Et porrò. Gravissimum itaque illius onus est, qui omnes ex æquo instituit coarguere ac nemini parcere. Sunt quippe homines admodum veritatis inpatientes, cùm ipsam nullo modo aut ferre aut audire queant, nisi delicatè ac magno artificio condiatur. Propterea laus Horatio inprimis tributa est, quod vitia ridenti amico indicare posset, & circum ejus præcordia ludere. At si quis candidè atque apertè velit agere, non effugiet, quin odium & quidem gravissimum incurrat. Neque hodie alia de causa in aulas Principum fatui & moriores adducuntur, nisi, quod alii propemodùm omnes Principibus adulantur, stulti verò soli, si quid liberiùs dixerint, utcunque feruntur. Hæc tamen fratribus admonendis cautio adhibenda est, ut ne quid odio aut invidia inducti videamur dicere. Nemo quippe facilè fert, vel ab inimico vel ab invido se reprehendi. Quocirca Ecclesiis dari non debet pastor, qui populo sit invisus. Quoniam apud eum nihil unquam docendo proficiet. Addam adhuc insignem locum Buceri, quô ostendit quàm necessaria sit hæc Disciplina Ecclesiastica. Ita autem ille in cap. 1. Roman. ℣. 5. Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obedientiam fidei: Depravati sumus & ad ea semper quæ non decent, propendemus: perpetuò igitur Dei vocem audiamus, & sequamur necesse est. Hinc Dominus in Ecclesia voluit semper doctrinam & exhortationes administrari, cùm publicè tùm privatim, & Ecclesiæ non auscultantem, eum ejici, & haberi ut Eth-

nicum

nicum & publicanum. Quod hominum genus, Judæis profanum erat, & si per se non inhonestum esset, nec regno Christi excludendum, si se intra eas leges contineat, quas illis Joañes præscripsit. Proinde cùm tam nulla hodie supersit inter eos, qui se Christi esse jactitant, Evangelii authoritas, cum habentur adeò contemptim Verbi Administri, & Satanæ sui conatus in infamandis his & dejiciendis tam succedunt, eòque res nostræ reciderunt, ut olim habebant apud Israelem, cùm de eis Hosea queretur: Nemo alterum objurgat neque corripit, & populus tuus omnino ii sunt qui litigant cum Sacerdote. Hujus enim munus erat docere, monere, corripere, & que depravata sunt corrigere, quod illi non solum non excipiebant obedienter, sed contrà etiam rixabantur cum Sacerdotibus. His nostri proh dolor jam similes facti sunt, si eos non superarunt, id quod vel proverbium illud testatur: Hoc faciam quicquid dicat Sacerdos. Ut autem verum fateamur, istuc plurimum nostro vitio accidit, qui sacerdotio fungimur, cùm non eo studio & zelo Domini negotio intenti sumus, quo oportebat, nec etiam Spiritui Christi nos totos permittimus, nimium sæpe nostris indulgentes affectibus, rari frigidique in precibus, quibus & facultas & ratio, denique & dignus zelus, ritè nostrum munus obeundi impetranda erant. Jam sicut nulla civitas, nullum regnum rectè habere potest, ubi jacent leges, & magistratibus justa præcipientibus nulla est autoritas, ita nimium manifestum est, regnum Christi, quo nihil est dispositum melius, nihil constitutum rectius, apud nos nondum obtinere, dum impudenter adeò contemnuntur ea monita, quæ tamen fatemur esse Dei, esse Christi, esse salvifica. Nos itaque quos horum jussorum Dominus fecit administros, sum̄o annitamur studio implorare semper ejus Spiritum, ne nostra culpa vilescat verbum Dei. Reliqui cogitent se Deum contemnere & rejicere, in quocunque contempserint & rejecerint rectè monita: eoque inprimis id dispiciant, dum corriguntur, dum objurgantur, num verè & volente Deo ita corrigi objurgarique debeant: ut sacrosanctam Apostolus voluerit esse presbyterorum in Ecclesia autoritatem, sed simul ipsorum etiam

etiam in tuenda hac sedulitatem, cùm aliàs, tum in Epist. ad Timoth. multis sanè declaravit. Domine Jesu conjunge, unique nos in te, fac abnegemus nosipsos penitus, resipiscentiæ in nobis studium accende, ut qui moneri nunquam non necesse habemus, id invicem nobis in tuo Nomine & administremus & excipiamus, eo animo, ea religione, ut indies deprimatur magis in nobis, quod tu aversaris, emergat & vigeat, quod probas. Nam sine solida Evangelii obedientia, sine plena nostri ad Tuum verbum subjectione, tui esse haud possumus! Rectè sanè, nam absq; hac Disciplina, Ecclesia suam Definitionem sustinere nequit, quicquid dicatur. Probè id vidit & advertit Tertullianus de Præscriptionibus, ubi ita c. 43. Adeò & de genere conversationis qualitas fidei æstimari potest: doctrinæ index Disciplina est. Negant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia & soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, & diligentia adtonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia. Et c.44. Proinde hæc apud Nos testimonia Disciplinæ ad probationem Veritatis accedunt: à qua devertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii: quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem, inprimis ipsius fidei. Exsint igitur illi Pseudo-Fratres & Theologi gloriæ, qui ut Magnatibus blandiantur, quamvis pessimè consulant, & reti tantùm suo sacrificent, iis persuasum volunt, se & extra & supra Ecclesiæ Censuram esse, ac si in Eos caderet ἄνομος ille quem Apostolus indigetat; cùm tamen Ecclesia illis, melioribus sui Temporibus, carere potuerit, & Christi Ecclesiæ hæc sit conditio, non ut censeatur Dignitate Politicâ, nec quisquam ad eam ideò pertineat, quòd Magistratus sit aut Rex, qui quatenus Ecclesiæ, hoc est, Christi membrum est, hactenus quidem eadem conditione est, quâ contemptissimus quisque, sunt enim veri Levitæ omnes iidem 2. Tess. 2.

Primogeniti censente Eximiô Theologô Johanne Camerone Tract: Quæst: in Epist. ad Hebræ: c. 7. ℣. 1. Quod & ipse Imperatorum Laudatissimus Theodosius probè intellexit, unde in majori Felicitatis suæ parte posuisse legitur, quod Ecclesiæ Catholicæ Membrum esset quàm Imperator Romanus. Et ita Ecclesia quà Vetus quà recens semper in Confessione & Praxi sua judicavit. Poterunt Reges & Principes, inquit alibi Rivetus, qui sub nostra Disciplina vixerunt, testari, eodem modo hac in parte cum iis actum fuisse, quo cum ancillis. Quamvis ei, cui debetur, honorem exhibeamus, tamen nihil obstat, quominus procuremus, ut homines, cujuscunque dignitatis fuerint, gloriam Dei promoveant. Ejusmodi personarum acceptiones ac assentationes (NB.) Jesuitis similibusque sunt propriæ, qui Magnatibus in suis peccatis blandientes, abjectos tantùm allatrant, Quid autem hîc & quantum debeatur Deo, quid autem Cæsari, distinctè juvat nosse, idque non ex privatis Theologorum placitis, quæ variant, & sæpius contra Mentem Authorum torquentur, quâ culpâ non caret Eruditissimus Author Parænescos ad Ædificatores Imperii in Imperio, quod alibi, faciente Deo, demonstrabitur, sed ex publicis Ecclesiarum Confessionibus, quarum Specimen exhibet Clarissimus Theologus Anthonius Walæus in Doctissimo Tractatu, de Munere Ministrorum Ecclesiæ & Inspectione Magistratus circa illud, ut ita de Mente Reformatorum Catholica constet. Traducere autem illam Disciplinam ut Fœderatam est despuere ipsam Ecclesiæ indolem, quæ omnia sua ex compacto agere consuevit. Quod si illi gloriæ Theologi ad fructus quos peperit ille Erastianus Papatus, nempe illum Indifferentismum & Moris Libertinismum, ubi illud si Lubet Licet, obtinet respexissent, sanè pudor illos cohibuisset. Verùm & gloriæ & vindictæ cupido, cum nimirum quis offenditur simplicitate Ecclesiæ & in Ordinem Ecclesiasticum ultionem parat hæc procudit Paradoxa. Quid autem, quæso, Ecclesiam juvat illa umbratica Theologica, quæ novis indies εὑρήμασι de ἀφέσει & παρέσει, de Moralitate & ceremorialitate Sabbathi ad scandalum usque Minorum & cœcorum qui inter nos habitant disputat, & S. Scripturam

equuleo

equuleo imponit, rectum autem Theologiæ Scopum qui eſt Praxis & Reformatio Vitæ, inſuper habet? Quid ſodes, Eccleſiæ proderit diſputare de Imperio Summarum Poteſtatum circa Sacra, cum Eccleſia abſque illis florere potuit, & Nos cum veteribus Imperatorem colere queamus ſed ut Deo Minorem etſi ab Eccleſia averſum imò ei Adverſum. Imò audebo dicere, idq; annuente Eccleſiâ, ab illis utut magni Nominis Theologis, qui non profuturis & ſcandaloſis ejuſcemodi Quæſtionibus de Natura & abrogatione Sabbathi, de jure Magiſtratus circa ſacra, &c. contra receptam Eccleſiæ Praxin, juventutem ad SS. Miniſterium præparant, non minimam cladem derivari, & in Eccleſiam Populosque fluere. Inde enim evenire ſolet, ut iis præoccupati & diſtenti ad Miniſterium afferant ἐρίδες, διχοστασίας, & id genus animorum πάθη, quibus (quod triſtis experientia comprobat) vel ἀνθρωπάρεσκοι fiunt, vel inter ſeſe colliſi Munus ſuum inutile reddunt & coram illis qui extra ſunt, proſtituunt. Scilicet hoc eſt Theologum agere, ut quæ unâ manu ædificas, alterâ deſtruas. Cui bono ex ambone ad Artis numeros loqui & ad inſtar Roſcii in pegmate declamare, ſpretâ Apoſtolicâ ſimplicitate, & interea in Sacramentorũ Adminiſtratione objicere margaritas porcis & τὰ ἅγια canibus, quæ tantum τοῖς ἁγίοις debentur? Annon ſatius & pro conſcientia tutius foret, ſilere, quàm cum philomela illa Phrygis nonniſi vocem ſonare & Verbum à ſua ἐνεργείᾳ deſtituere? Adeo de bene vivendo jam quæſtio nulla movetur. Rectè Caſaubonus Exercitat: 16. ad Annales Baronii: Circa lapſos diſciplina fuit admodum ſevera & prorſus admiranda: cui revocandæ in uſum operam impendiſſe, res futura ſit Deo gratior abſque dubio, quàm de fidei dogmatis ſubtiliter diſputare extra ſcripturas, & omnes diſſentientes ferro & flammâ perſequi, in quo hodie ſummus pietatis apex ponitur. Quò igitur majori cum emphaſi hæc Diſciplina exerceatur, ſit illa ἀπροσωπόληπτος; Ne det veniam corvis, vexet cenſura conlumbas. Integritas enim Præſidentium eſt ſalus ſubditorum, bene inquit Concil. Tridentinum c. 1. de Reformatione. Et prout capite purgato, reliqua membra ſeſe eò melius habent, ita verè dictum à Bernhardo ad Eugenium Papam:

Redde bonos Pastores & oves habebis meliores. Expendatur hîc Necessaria Relatio Gulielmi Teelingii, de pæsenti & calamitoso Ecclesiæ statû, saluberrimus sanè ad hoc ævum liber. Qui autem hîc difficiles erunt circa saxum devolvendum, iis suadeo, ut legant Cypriani (qui solus judice Casaubono primitivæ Ecclesiæ πολιτείαν & Disciplinam totam melius nos docuit, quàm multi alii, qui 4. sæculo vixerunt) Epistolam 3. ad Cornelium Fratrem, & erigentur. Concors modò sit animus, os & silentium, & res pulchrè procedet; juxta illud πολυθρύλλητον: Et cestare pares, & respondere parati.

Epist. ad Perron.

7. Frequentior Synaxis seu Commemoratio Mortis Domini, prout in Veteri Ecclesia fuit, ubi Sacramentorum Usus ferè jungebatur præconio verbi, & cottidie fermè celebrabatur sacrificium Eucharisticon & Commemorativum Mortis Dominicæ, prout apud Augustinum, Chrysostomum &c. videre est. Quantus autem tunc zelus & devotio!

8. Melior Catechesis juxta morem catechizandi veterem, unde ordo Catechumenorum & Competentium, quò & referendum illud Exercitium Propheticum ex 1. Corinth. 14, cujus laudabile specimen videre est in ordine Ecclesiæ Belgicæ Ann. 1550. Londini sub Eduardo VI. à Martino Micronio, composito, ubi cap. 12. Modus Prophetiæ exponitur, ita ut singulis diebus Jovis post habitam Concionem ante cantionem Psalmi, Examen Concionis & aliorum casuum Conscientiæ coram totò cœtû fuerit habitum, summæ Ecclesiæ Ædificationi.

9. Cura Scholarum quà publicarum quà privatarum. Quantum ad illas, habendus erit delectus Professorum. Uti enim non omnia possumus omnes, & Naturæ sequitur semina quisque suæ: ita quoque non omnes idonei sunt tractandis omnibus. Prout igitur Medici illi qui excellere satagunt, Facultatem suam inter sese partiuntur, ita ut hic pro objecto habeat cor, alter oculum &c. ita, siquidem Excellentes habere velimus Theologos, Facultas quoque Theologica distribuenda erit, & cuilibet sua sparta assignanda, ita ut hic pro suo genio & ingenio vacet controversiis Judaicis, alius Pontificiis,

alius

alius Pelagianis, alius Praxi & Conſcientiæ caſibus. Cumprimis alantur Profeſſores Linguarum, quæ januæ ſunt ſcientiarum, ne illarum rudis & ignara juventus ſtudia realia eò infelicius tractet: Quantum ad hasce, cum baſes ſint & ſeminaria Academiarum, non minor earum cura eſſe debet. Id probè vidit Eccleſia ſequior & in ea ſocietas ψευδωνύμος, quæ accuravit ut hæ Scholæ æque bene ſi non melius conſtituerentur ac illæ publicæ. Hinc harum Præfecti & Moderatores apud illos non minus litterati ſunt quàm Doctores publici. Et quâ dexteritate iis præſint & adoleſcentiam exerceant, multi noſtrûm teſtantur, qui idcirco, invidiâ etſi frementc ad Philiſtæos eunt, ut vomeres ſuos acuant. Exemplum igitur & ſtudium Adverſariorum nobis frigidam ſuffundere deberet. Adhæc cogitandum foret de Compendioſiori Didactica, ne ingenui Adoleſcentes ætatem in trivio conſumere neceſſum habeant. Tandem ſint utræque verè Reformatæ, id eſt, expurgatæ ab ἀταξίᾳ & ἀσωτίᾳ quæ hodie ceu peſtis epidemica in iis graſſatur, unde ſæpe evenit quod eſt in vetere verſu Cedo, qui veſtram Rempublicam tantam amiſiſtis tam citò? Proveniebant Oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli. Et tamen hi ilicet ordinantur ut τύποι Eccleſiæ, 1. Tim. 4. i pudor in villas.

10. Cenſura Librorum, ubi tum Cenſores conſtituendi, qui id curent, ne qui exeant jejuni, rixoſi & ſcandaloſi, ex quibus inteſtina diſſidia & odia Fratrum acerrima oriri ſolent. Cumprimis autem opera danda, ne qui libri Adverſariorum irrefutati maneant, & cum triumpho volitent per ora virûm, ſummo infirmorum ſcandalo. Semper enim accurandum, ne quid Eccleſia detrimenti capiat.

11. Cura & Inſtructio Bibliothecarum, in quas inferenda rara quæque & non paſſim obvia monumenta, & quæ οἱ ἐκ ἐναντίας ſuppreſſa quàm impreſſa malint. Notus enim ſatis eſt corruptor ſtylus Adverſariorum in caſtrandis libris ſibi adverſis. Et nî de novo imprimantur propudioſi illi libri: Conformitates & Vinea Franciſci, Stella Clericorum, Taxa Cancellariæ Romanæ &c. verendum, ut temporis omnia conſumentis injuriâ, noſtrûm incuriâ, & Adver-

ſariorum furtivâ nequitiâ, pereant. Quis enim non miratur maledictum illum Librum Prædicatorum Evangelii æterni nomine inſcriptum, & mutando Evangelio Chriſti in melius ſcilicet, quod Evangelium Sancti Spiritus vocandum eſſet, fabricatum, qui Ann. 1255. prodiit, hodie non extare? abditum fortè alibi in cryptis Monachorum iſtius ordinis. Non quidem hîc deerunt Marones, ſint modò & faveant Mecænates. Utinam Ptolomæus aliquis exoriatur, qui huic Bono procurando gazam ſuperfluam impendat!

12. Verſio Librorum in Linguas vernaculas, ſummo Eccleſiarum Bono. Quæ enim tam felix Regio, quæ feliciſſima omnia ingenia includat? quin ſparſa illa, & Deo diſpenſante, ſua cuique terræ velut gemmula, quæ illuſtret; fas mihi uſurpare verba ſummi Literatoris J. Lipſii cent. 1. Epiſt. 22. Majus igitur illi ſubinde ferunt operæ pretium, qui interpretes ſunt alieni operis, quàm (quod faciunt plures informes corniculæ) qui alienis ſe plumis exornant, ut bene alibi Hieronymus.

13. Inter poſtremas autem hæc ſit non minima cura, ut Principes juventutis, & qui ſuo tempore Rerum clavo admovendi, bene & piè educentur. Nam uti ex ortû ſolis conjici ſolet, qualis futurus ſit dies; ita ex Adoleſcentia & Educatione Principum, qualis futurus ſit ſtatus Eccleſiæ & Reipublicæ. Hujus igitur graviſſimæ curæ incuria eſt plerunque corrupti ſtatus & Eccleſiaſtici & Politici. Unde dolendum, Antiſtites Rerum Reformatos in Regimine ſuo, aliis non admodum meliores eſſe, & multùm degenerare à Virtute Majorum ſuorum, qui in ipſis tenebris Papatus, laudabiliorem & æquiorem Recturam geſſēre, quam nunc Eorum ſucceſſores faciunt, quod ſanè in ſummum opprobrum Evangelii redundat, utpote cujus vi & virtute, nullus hominum Ordo in melius mutatur, uti Eraſmus & alii ad Pſeudo Evangelicos queſti. Quin & indè non Principum ſolùm ſed & populorum Felicitas pendet. Ut enim ſyderum vis non intra agellum aut prædium privati alicujus coercetur, ſed ad vaſtos terrarum tractus ſe exporrigit: ſic Principum vitia aut Virtutes ad plures pertinent. Et ut integræ Provinciæ, integra Regna bonorum

virtu-

Virtute foventur, ſic eadem illa magnis peccandi Exemplis ceu peſtilenti quodam afflatû velut ſiderantur. Unde ſacra Pagina non ſine gravi cauſa, non Populis, ſed Regibus & Ducibus toties acceptum fert, quod illorum auſpiciis vel Deo Iſraëlis fuerit litatum vel idolis gentilium. Adeò Rerum Principes Vim Inclinativam habent, ut ſi ferantur Zelô Dei vel amore Religionis, & Aula & Populus idem facere comperiantur; contrà ſi illi ſint Indifferentes, & ad inſtar Gallionis ſacra inſupeer habeant, & Aſſeclas eorum tales eſſe Experientia comprobet. Hinc qui illis plerumque à Mente & Manu ſunt, deprehenduntur eſſe homines profani, alienis damnis adoleſcentes, & qui de cœlo, ut ille ait, ſcenam faciunt. Quo fonte derivata clades, In populos Patriamque fluxit. Adhibeantur igitur illis Ephori tales, quales erant Regum Ægyptiorum ex Perſarum, qui non tantùm ſint periti Rerum naturalium & humanarum, ſed etiam Divinarum. Undè ſi Plato rectè judicavit, tum demum beatas fore Reſpublicas, ſi Philoſophi Eas regant, aut qui illas regunt, philoſophentur, Nobis multò magis dicendum, tum beatas futuras, ſi Rex ſit Anius, idem hominum Phœbique ſacerdos, & quando Principes meminerint, ſe à Deo Eccleſiæ Nutritios datos eſſe, in oculis & animis ſemper gerentes Ideam illam Deut. 17. Regi Iſraelis præſcriptam. O quàm indicibiles fructus exinde in Eccleſiam & Rempublicam redundarent! Id Aulici illi Paſtores accurarent quorum Vocatio ſi ligitima cùm ab Uno pendeat, onus tamen potius quàm honos eſſe debet & quidem grave, cum Eorum conſcientiæ dirigendæ præſint, qui omnia regunt. Unde meritò illis imputanda bona vel mala quæ eveniunt. Nec abs re à Caſuiſtis dictum: Paucos ex Confeſſariis Magnatum ſalvari. O ſi redeat Elias vel Baptiſta! Vel capite ſuam conſcientiam redimerent, quam hi veſtigalem habent. Sed ego Manum de Tabula cum de Diis etiam vera dicere periculoſum ſit, Inſtitutum hocce de Propaganda Fide ὡς ἐν τύπῳ adumbraſſe contentus, aliis nunc Lampada tradam.

Anna

Anna Maria à Schürman Epistolâ quadam ineditâ ad Reverendum Virum D. Johannem Arnoldi, Celsissimæ Principi Magdalenæ, Landgraviæ de Domo Hassiaca, Comitissæ Salmensi, à Sacris, inter alia ita scribit:

Non quod putem, S. Templi ædificatoribus, unquam de manû deponenda esse arma, quibus Adversariorum vexationes ac ludibria avertant: sed quod maximam curam summamque diligentiam adhibendam existimem ad ædificandam ac reficiendam Dei Domum, atque inprimis Sanctum Sanctorum. Si enim Vita nostra esset fulgor, & verba nostra essent tonitrua, nec tantum vi veritatis prosternerentur inimici: sed & illustri nostro exemplo lucrifierent ii, quibus ad nostræ Religionis sacraria non patet aditus. O utinam, ut omnes & singuli quotquot non tantùm Christianismi, sed etiam Reformatæ insuper Antiquitatis titulo, & quasi coronide gloriamur, memores, unde excidimus, juxta Mandatum Salvatoris nostri Apoc. 2. prisco illo avitæ virtutis Splendore exornaremus sanctissimam nostram Professionem, atq; antecedentis seculi aurei, si cum nostro luteo simul, ac ferreo comparetur, imaginem redivivam, orbi restitueremus. Illius quidem Historicam Narrationem illustrem pollicetur illustris ille orthodoxæ Veritatis Antistes D. Hottingerus: verùm quàm maximè optandum foret, ut nos quoque sequentis sæculi scriptoribus, aut citius præsentis temporis periodo parem heroicæ, id est Christianæ Virtutis deprædicandæ exhiberemus materiam: Quod tamen nulla ratione sperandum, nisi mox vitæ ac morum in ipsa Reformatione elucescat Reformatio. Quis enim non videt nostram sensim magis ac magis degenerantem ætatem, non quidem facilè ad profundas illas ignorantiæ tenebras, aut vacuas ac fatuas observationes, quibus Romana Ecclesia ante nostram ab ea discessionem, tantùm non obruebatur (illis enim obstat ingeniorum petulantia) sed ad illam ipsius Romæ prophanitatem, de qua illius Poeta cecinit: Omnia cùm liceant, non licet esse pium, brevi temporis intervallô relapsuram? Quis quæso, intuens universam illam, ut ita dicam, congeriem Reformatorum, quorum σχῆμα maximè in omnium oculos incurrit, hanc esse conjiciat illum populum Tit. 2, 14. περιούσιον ζηλωτὴν κα-

λῶν

λῶν ἔργων? cujus τὸ πολίτευμα ἐν ὀυρανοῖς Philip. 3. 20. Quis credat illos à suo Rege tam sanctas, tam spirituales, tam divinas recepisse leges, & sacramenta, quibus se ultro ad summum illius amorem, reverentiam atque obedientiam ipsi præstandam obstrinxerunt? Quis inquam vel per somnium conjectet, ipsis Dei ac Domini sui gloriam unicum esse supremum omnium finem, ad quem omnia illorum cogitata, dicta, facta jugiter collineent, & cui suas delicias, opes, honores, propriam vitam, imò salutem, cum Dei servis Mose & Paulo, postponant? Quæ tamen ipsissima populi Dei & Christi Asseclarum γνωρίσματα sunt, quibus inter alios tanquam φωςῆρες φαίνονται Phil. 2. 15. Non ignoro Ecclesiam nostram non solum esse in Mundo, sed & Mundum, hoc tempore prospero, in ipsam Ecclesiam irruisse; adeoque illius larvam hujus pulchritudinem obtexisse: sed & hoc neminem latere potest fore, ut, nisi lux tandem è tenebris erumpat, Deus ipse hanc massam, è tam ἑτερογένεσι partibus quasi congelatam, in fornacem tribulationum conjiciat, ac dissolvat, Quæ enim Communio Lucis ac tenebrarum est? Novâ omnino separatione opus est, ubi spretis edictis Apostolicis ad Rom. 12. 2. & Ephes. 5. 11. ita huic sæculo conformamur, ac permiscemur, ut non tam in Mundo, quàm de Mundo esse videamur; ab illa scilicet communi rebellium turba recedendum, quæ Christum Regem factis abnegat, atque ipsius æternæ sapientiæ consilium omne rejecit: de qua ipsa conqueritur, atque illi omnia extrema minatur Proverb. 2. 15. Nam illud extra omne dubium est, eaque gloria æterno illius Regno deferenda est, quod suos habeat fideles satellites ac subditos, quorum decus & honos, non ex numero, nimirum exiguo Matth: 20. 16. Sed ex fide atque obedientia æstimandus est, qui ab illa ipsa edocti, vim pati regnum cœlorum, & βιαςὰς ἁρπάζειν ἀυτὴν, sub illius vexillo & ductu, certamen illud Luc. 13. 24. cujus beneficio per angustam portam, datur introitus in viam illam τεθλιμμένην, quæ ducit ad vitam, generose ineunt, seseque ad hujus Regum Regis exemplum, tanquam ad vivam, ac perfectissimam legem, omni studio componunt. Hic supremum illud in omnibus Regnis Regnum est, cujus prima ac salutaris

taris maxima est & velut Lex Fundamentalis, εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς.

O felices Reges ac Principes, qui hujus coronæ ac sceptro sua subjiciunt, quia per hunc solum regnant. Proverb. 8. 15. Hic in ipsis Ecclesiis Ecclesia est, quam sibi suo sanguine acquisivit atque emit ipse Deus Act. 20. cujus membris omnibus lex, Lux est, Israël ille Dei Gal. 6. 16. ὅσοι κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι. Hæc illa Virginum Nobilissima, Doctissima & Pientissima non minus eleganter quàm verè.

F I N I S.

